

vel adest legitima dispensatio pontificia, licet dicta pluralitas beneficiorum repugnet speciali statuto cujuscumque Ecclesie. Verum de hoc plura citati auctores, et Pirhing h. t. n. 33. et 34.

130. *Exceptio rei judicate non competit reo absoluto ex eo, quia tempore late sententiae non possidebat, si post eam possidere incipiat.* — Resp. III. Exceptio rei judicate non competit reo absoluto ex eo, quia tempore late sententiae, non possidebat, sed jam antea bona fide desierat possidere, si post sententiam denuo possidere incipiat. Textus est in c. *Adversario* 13. h. t. ubi Glossa, Abbas, aliique doctores communiter accedunt ratio, quia exceptio rei judicate non competit, quando cessat ratio olim late: atqui ratio sententiae olim late, seu cur reus fuerat absolutus, est illa, quia tunc non possidebat: haec autem ratio cessat, quando post sententiam denuo incipit possidere; ergo.

131. *Id ipsum probatur in simili.* — Id ipsum declaratur, et probatur a pari. Quia si reus fuit absolutus, eo quod actor ante statutam diem, vel ante eventum conditionis, sub qua quidpiam spondebatur, illud petisset; non ideo potest reus praetendere exceptionem rei judicate adveniente illo die, vel eveniente conditione: ut l. *Grege*. 8. fin. ff. de pignorib. et l. *Bovem*. § *Si sub conditione*. E. de *Aedilitio edicto*. Nam ante diem illum, ant eventum conditionis, nihil adhuc debebatur: bene tamen postea. Idem ergo dicendum, ubi reus fuit absolutus ex eo, quia tunc non possidebat, ubi postea de novo possidet.

132. *Exceptio rei judicate per judicem ecclesiasticum, debet etiam admitti in foro saeculari; et econtra.* — Resp. IV. Exceptio rei judicate per judicem ecclesiasticum, debet etiam admitti in foro saeculari; et econtra. Ita textus expressus in cap. II. h. t. in 6. ubi iudices saeculares oppositum attentantes, per censuram ecclesiasticam jubentur compelli ad admittendam exceptionem rei judicate per judicem ecclesiasticum in casu, quo ad eum de jure, vel consuetudine pertinet cognitio: et econtra iudices ecclesiastici, non admittentes exceptionem rei judicate per judicem saecularem in his, quae animarum periculum non inducunt, per superiores suos animadversione debita castigandi censentur. Intellige, dummodo alioquin ejusmodi exceptio rei judicate, de jure sit admittenda: quod additur propter dicta in conclus. praeced.

et nonnullos similes casus, in quibus exceptio rei judicate non procedit; prout notat Glossa in cit. cap. II. § *Admitti*. h. t. in 6.

133. *Testis, contra quem fit exceptio de crimine, isto probato repellitur a testimonio; de crimine tamen non punitur.* — Resp. V. Quando fit exceptio contra testem, atque is de crimine contra eum excepto convincitur, vel alias convictus apparet, tunc is repellitur a testimonio: de crimine tamen non punitur, si non tangat negotium principale. Ita textus in cap. I. h. t. ubi Abbas in *Summario*, aliique doctores communiter. Accedit ratio, quia si crimen objicitur testi per modum exceptionis regulariter solum agitur ad repellendum ejus testimonium, non vero ad sumendam publicam vindictam; ergo sufficit, ut iudex ipsum convictum repellat a testimonio. Nam, ut contra iudex posset procedere puniendo, seu infligendo poenam ordinariam: deberet praecedere accusatio, ac caeteroquin juris ordo servari; prout dicitur in textu in cap. I. h. t. et c. *Inquisitionis*. 21. § *1. de Accusationib.* Verum de exceptionibus contra testes, plura ex professo jam dicta fuerunt tit. XX. de *Testibus*. § *17*. n. 534. et seqq. De aliis etiam exceptionibus, praesertim hoc titulo contentis, vel hactenus jam dictum est, vel in propriis locis commodius dicetur.

134. *Dicta de exceptionibus, servata proportionem, locum habent in replicationibus. Replicatio, et quasi exceptionis exceptio.* — Illud duntaxat praemissis est addendum, quod ea, quae hactenus dicta fuerunt de exceptionibus, servata proportione etiam locum habeant in replicationibus. Siquidem effectus replicationis est, resolvere, vel expugnare exceptionem: unde sicut se habet exceptio ad actionem, ita se habet replicatio ad exceptionem, l. II. ff. h. t. Et sicut excipiens non confitetur, ita nec replicans. Glossa in c. *Exceptionem*. 63. in fin. de *Reg. iur.* in 6. Abbas c. *Cum venerabilis*, n. 27. et c. *Dilecti filii*, n. 9. h. t. inde ulterius inferens, quod ut replicatio admittatur, suumque effectum operetur, requirantur ea omnia, quae concurrere debent ad exceptionis admissionem: nam replicatio est « quasi exceptionis exceptio, » ut dicitur l. *Exceptio est*. 22. ff. h. t.

TITULUS XXVI.

De Praescriptionibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Postquam titulo praecedenti visum est de exceptionibus in genere, sequitur nunc de praescriptione, quae est species quaedam exceptionis peremptoriae, atque non raro in judiciis objici solet. Et quia notabiles circa eam occurrunt difficultates, merito de ipsa tum in jure civili, tum canonico, sub specialibus titulis tractatur: unde de ea majoris claritatis gratia in distinctis etiam paragraphis agendum videtur; haud obstante, quod de praescriptione, et usucapione, etiam in *Theologia morali* tract. 7. distinct. 6. per totum ex professo jam egerim.

§ I.

DE NATURA, DIVISIONE, EFFECTU, ATQUE CONDITIONIBUS USUCAPIONIS, ET PRAESCRPTIONIS.

2 et 3. *Praescriptionis nomen sumitur dupliciter; generatim, et magis proprie: quomodo?* — Queritur I. Quot modis « praescriptionis » nomen in jure sumatur? Resp. I. Dupliciter. *Primo* generatim: prout idem est, ac exceptio, sive oppositio ad excludendam actionem, seu intentionem alterius. Sic praescriptio accipitur in l. *Sed et si*. § ult. ff. de *Judiciis*: atque in toto tit. ff. et c. de *Exceptionib. et Praescriptionib.* et alibi frequenter.

Secundo, et magis proprie, sumitur praescriptio specialiter pro exceptione peremptoria, per quam bonae fidei possessor, post decursum temporis a legibus definiti, dominum rem suam pristinam repetentem, vel antiquo suo jure, uti volentem, repellere potest. Sic enim quis dicitur contra eum praescribere, seu peremptorie excipere, opponendo continuatam sufficientis temporis possessionem, per quam fecit rem suam. Et in hoc sensu procedit rubrica praesentis tituli.

4. *Praescriptio adhuc dupliciter accipitur, nempe prout et in fieri: et prout est in facto esse.* — Resp. II. Praescriptio taliter sumpta, adhuc dupliciter accipi potest. *Primo*, prout est in fieri: qualiter aliud non est, quam

actus acquirendi rem alterius per durantem etiamnum possessionem bona fide continuatam, et necdum tempore legibus definitio absolutam: et sic praescriptio dicitur non procedere, dormire, vel interrumpi, juxta amplius dicenda § 7. n. 191, 192 et seqq. *Secundo*, prout est in facto esse: quando videlicet tempore legitimo completo per continuatam bona fide possessionem cuiuspiam jam est acquisitum jus in re, vel extinctum jus alterius, eique praescriptum. Dicitur notanter in dativo, « eique praescriptum. » Siquidem

5. *Circa praescriptionem est observanda certa phrasis, et formula loquendi; et qualis?* — Notandum est cum Ludov. Engel h. t. n. 4. et aliis, quod circa praescriptionem sit observanda certa phrasis, et formula loquendi. Quando enim per praescriptionem jus alterius, quod habuit in re nostra, puta, agro, domo, etc., extinctum seu peremptum est, eo quod tempore a legibus definito jure suo uti neglexerit: tunc juristae solent loqui in dativo, scilicet: « Praescripti huic obligationi: jam praescriptum tali juri, actioni. » Vel saltem solet addi praepositio, *Contra*, dicendo v. g. « Praescriptio contra talem obligationem. » Quando autem de acquisitione sermo est, dum scilicet per viam praescriptionis nobis jus, vel dominium rei alienae acquisitum fuit, tunc utimur, vel nominativo, vel accusativo casu, taliter: « Praescripta est a me res ista: » sive, « Praescripti hanc rem, jurisdictionem, servitutum, » etc.

6. *Usucapio, quid?* — Queritur II. Quid sit usucapio, et an differat a praescriptione? Resp. I. « Usucapio est acquisitio, vel adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti. » Ita textus in l. III. ff. de *Usucapion*. Quae quidem definitio est intelligenda causaliter, ut notat Glossa 1. ibid. Etenim usucapio est causa acquisitionis domini, non vero est ipsa acquisitio; sicut a pari traditio rei est causa possessionis, non vero ipsa possessio.

7. *Solvitur instantia contra ejus definitionem.* — Dices. Data definitio non explicat quidditatem usucapionis, sed duntaxat effectum ejus, ut proxime dictum; ergo non est bona: nam causatum, sive effectus, necessario differt a causa, veluti correlativum ipsius. Resp. neg. consequent. cum suae probationis consequentia. Quamvis enim definitio rei non recte concipiatur per effectus ipsius, qui duntaxat sunt remoti, ac pluribus

communes, neque eidem inseparabiliter adhærent: secus tamen est, quando effectus illi sunt proprii talis rei, eique necessario ac inseparabiliter adhærent; prout fit in proposito. Sic enim a posteriori rectissime definiuntur rerum essentialia, seu potius istæ circumscribuntur per effectus sibi proprios; uti patet tum in physicis, tum in aliis passim.

8. *Usucapio et præscriptio, an different?* — Resp. II. Etsi nonnullæ inter usucapionem, et præscriptionem, soleant a doctoribus afferri differentia: nihilominus de facto plerumque inter se confunduntur. Ita Abbas ad rubric. h. t. n. 3. asserens, quod usucapio, ad præscriptio, proprie et scilicet inter se differant, sed late sive largo modo unum comprehendat alterum. Pirhing h. t. n. 3; Engel eod. n. 1; Sannig. cap. 1. n. 3. asserens, quod quidam prisci jurisconsulti varias posuerunt differentias inter usucapionem et præscriptionem, sed posteriores legistæ, et maxime canonistæ, non nisi nominalem distinctionem agnoscant, ipsasque pro synonymis accipiant.

9. *Usucapio juxta quasdam rebus tantum corporalibus convenit: Præscriptio generaliore habet significationem.* — Conclusio hæc probatur assignando nonnullas differentias, quas antiquiores doctores inter usucapionem et præscriptionem posuerunt; ipsasque breviter impugnando. Et primo quidem, atque attendendo ipsam vim nominis, et juxta plerosque antiquiores. Usucapio rebus tantum corporalibus convenit; utpote quæ ipso usu capi, seu apprehendi, sicque acquiri solent, arg. l. *Usucapionem* juncta Glossa §. *Maxime*. ff. de *Usucapionem*. Præscriptio autem generaliore habet significationem, et rebus tum corporalibus tum incorporalibus, imo et juris alieni peremptioni convenit: ut proinde latius patere videatur præscriptio, quam usucapio; et omnis quidem usucapio sit præscriptio, non e contra. Verum quia etiam libertas, et servitutes usucapi posse dicuntur, l. *Sequitur*. §. *Libertatem*. ff. de *Usucapionem*. et l. *Si aliena res*. §. *Hoc jure*. ff. eod. hinc patet, istam differentiam non semper jure observari.

10. *Præscriptio triennis solet dici usucapio; præscriptio longi, vel longissimi temporis præscriptio, non usucapio.* — Deinde præscriptio triennis (qualis datur inter res mobiles) frequentiori usu, ac proprio nomine, solet in jure dici *usucapio*, ut inquit Glossa §. 1. §. *Usucapiantur*. Instit. de *Usucapionem*. Præscriptio vero longi, vel longissimi tem-

poris, communiter appellatur *præscriptio*, non *usucapio*: prout patet ex rubricis, eod. de *Usucapionem*. pro tempore. et seqq. de *Præscriptionem longi temporis*. de *Præscriptionem* 30. vel 40. ann. Verum hoc ipsum non semper procedere, neque observari, patet ex rubrica, totoque tit. eod. de *Quadrienni præscriptionem*, et Auth. *Quas actiones. c. de SS. Ecclesiis*, cum similibus, ubi admittitur præscriptio quatuor, vel pauciorum annorum.

11. *Usucapio est in rebus mobilibus, præscriptio in immobilibus. Hæc tamen differentia non semper attenduntur.* — Rursus Glossa in l. 3. ff. de *Usucapionem*. et Abbas ad rubric. h. t. et veteres passim voluerunt, quod usucapio proprie sit in rebus mobilibus; præscriptio in rebus immobilibus, et juribus incorporalibus. Et hanc differentiam etiam doctor subtilis in 4. dist. 23. quæst. 2. §. *De secundo*, supponere, videtur, ibi: «Ex hoc dico, quod præscriptio in immobilibus, et usucapio in mobilibus,» etc. Verum, quia §. 1. Instit. de *Usucapionem*. expresse nomen *usucapionem* rebus tam mobilibus quam immobilibus attribuitur, ibi: «Res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem usucapiantur:» quod ipsum fit l. un. c. de *Usucapionem*. transformand. et alibi; hinc patet, hanc etiam differentiam non semper attendi. Covarruvias c. *Possessor*. part. I. n. 3. de *Reg. jur.* in 6. Engel h. t. n. 1; Pirhing. n. 3. et alii passim.

12. *Præscriptio, quid?* — Resp. III. Usucapionem definitio n. 6. assignata, etiam præscriptioni adaptari potest; præsertim, si per ly, «adjectio dominii,» etiam alieni juris elisio comprehendatur, dicendo videlicet: Præscriptio est adjectio dominii, vel alieni juris peremptio, per continuationem possessionis temporis a lege definiti. Ita Engel h. t. n. 1. et alii; non obstante, quod nonnulli addendum putent ly, «et modo legibus definito:» nam hæc clausula satis indicatur per ly, «tempore legibus definito,» prout observat Vallensis h. t. §. 1. in fin. Ratio conclusionis taliter explicata est: quia, ut dictum, usucapio et præscriptio plerumque inter se confunduntur, idemque important; et consequenter definitio competens uni, etiam alteri convenire debet. Additur tamen in hac definitione ly, «vel alieni juris peremptio:» quia hanc non importat usucapio, vi nominis, bene tamen ipsam involvit præscriptio, juxta dicta n. 9.

13. *Alia præscriptionis, atque usucapionem de-*

finito, per sua essentialia data. — Quod si vero præscriptionem, atque usucapionem, per sua essentialia definire placuerit, istud apte fiet dicendo: Præscriptio (usucapio) est exceptio ex tempore legibus definitio substantiam capiens, quæ actioni personali, vel in rem opponitur. Ita Glossa caus. 16. q. 3. in *Summa*. Covarruvias cit. part. I. in c. *Possessor*. n. 4. qui tamen posteriora verba, videlicet «quæ actioni,» etc. omittenda censuit. Pirhing h. t. n. 2. et alii. Dicitur primo. *Exceptio*: quæ particula stat loco generis; nam præscriptio, est species quædam exceptionis, et quidem peremptoriæ. Et additur, «ex tempore legibus definito substantiam capiens:» quæ particula stat loco differentia; nulla enim alia exceptio habet suum valorem ex tempore legibus definito, præter præscriptionem seu usucapionem. Ultima vero particula, «quæ actioni,» etc. majoris claritatis gratia additur per Glossam, ubi supra: quamvis etiam cum Covarruvia omitti valeat.

14. *Præscriptio est triplex.* — Queritur III. Quotuplex sit præscriptio, et quo jure introducta? Resp. I. Præscriptio est triplex: nam quædam est odiosa, quædam favorabilis, et quædam mixta. Ita Glossa in l. *Sicut in rem*. §. *Per executorem* et Bartolus ibid. §. *Quædam*, c. de *Prescript. triginta vel quadraginta annorum*; Abbas c. *Illud autem*. n. 11. h. t.; Covarruvias part. II. c. *Possessor*. §. 12, n. 4. et alii. Idque ostenditur declarando terminos: siquidem.

15. *Præscriptio odiosa, quæ?* — «Præscriptio odiosa» dicitur, quæ currit solum ex negligentia non petentis, nullo attentio favore præscribentis. Nam quia hæc præscriptio secundum leges civiles fuerat introducta in merum odium negligentis, seu non repetentis rem suam intra tempus longissimum triginta vel quadraginta annorum (atque statuta fuit in punitionem tantæ negligentia: hinc ipsa secundum leges (non autem secundum canones) procedebat, sive præscribens fuisset bonæ fidei, sive malæ fidei, saltem in modum exceptionis: interrompebatur autem per solam executoris missionem. Textus, Glossa, Bartolus, alique doctores in cit. l. *Sicut in rem*. c. de *Prescript. triginta vel quadraginta annorum* estque quoad alteram partem jam dictum supra tit. III. de *Libelli oblatione*. n. 109. et alibi.

16. *Præscriptio mere favorabilis, quæ?* — «Præscriptio mere favorabilis» dicitur ea, quæ currit favore possidentis propter titulum,

et bonam fidem ipsius: ut est præscriptio triennis, qualis locum habet in rebus mobilibus. Et ista non interruptitur per citationem, nec per litis contestationem, nisi in effectu; ut l. *Si post acceptum*. ff. de *Rei vindicat*. Glossa, et Bartolus, ubi supra, et alii. Accedit ratio, quia litis contestatio non tollit favorem rei.

17. *Præscriptio mixta, quæ?* — «Præscriptio mixta» tandem est, quæ currit tam favore possidentis (ob titulum et bonam fidem ipsius) quam odio negligentis: ut præscriptio decem, vel viginti annorum. Et in hac eligitur quædam via media, ut non interruptatur per solam executoris missionem, bene tamen per litis contestationem; ut l. *More litis*. c. de *Rei vindicat*. et notat Glossa, et Bartolus loc. cit.

18. *Præscriptio primitus est introducta per leges civiles, postmodum approbata per canones.* — Resp. II. Præscriptio primitus fuit introducta per leges civiles, postmodum vero per sacros canones approbata; dummodo concurrant debitæ conditiones, de quibus in progressu, conclusio desumitur ex l. I. et seqq. ff. de *Usucapionem*. et l. I. ac seqq. c. de *Prescript. longi temporis*. cum similibus: ubi plures tales leges præscriptionem introducentes reperiuntur, quæ postea per jus canonicum toto hoc incho fuerunt receptæ, et approbatæ. Id ipsum confirmatur ex c. *Vigilanti*. §. h. t. ubi pontifex fatetur quod «Ephesinus legislator propter vitandam miserorum segnitiam, et longi temporis errorem et confusionem, primus triennali vel quadragennali præscriptioni vigorem legis imposuit:» quam etiam Papa ibidem, et alibi sæpe, concurrentibus debitis conditionibus approbavit.

19. *Cur fuerit introducta?* — Porro causa introducendi per leges et canones jus præscriptionis, fuit bonum publicum, ne videlicet rerum dominia diu, et fere semper essent incerta, l. I. ff. de *Usucapionem*. Tum ut præcendantur innumerabiles, ac perpetuæ lites, quæ cæteroquin oriri possent. Tum etiam, ut hac ratione tollatur, vel puniatur misera quorundam segnitias, rem suam repetere negligentium, cit. c. *Vigilanti*. §. h. t. Nam sibi imputet negligens, l. *Quod quis*. ff. de *Reg. jur.* Simulque jura vigilantibus subveniunt, non dormientibus; ut habetur l. *Non enim*. ff. de *Ex quibus causis majores*, etc. et l. *Pupillus*. ff. de *us, quæ in fraudem creditorum*.

20. Id ipsum declaratur ex eo. Quia si, lex ob diuturnam possessionem bona fide conti-

nuatam, ac justo titulo ac quis tam, alicujus rei dominium expresse mihi non attribueret, nunquam de hoc forem securus; quinimo semper timere possem, ne quis superveniat illius rei dominium sibi vendicans: ergo, ne fere semper incerta essent rerum dominia, merito per leges, et sacros canones, introducta est usucapio, atque præscriptio. Antecedens probatur. Quia non illico sequitur, « rem istam emi, vel alter eam mihi donavit, legavit, etc. ergo est mea. » Si enim ille, qui rem istam mihi donavit, etc., dominus ejus non fuit, neque me dominum facere potuit, juxta reg. 79. juris in 6. « Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, » cum concordantiis.

21. *Præscriptio est justa, et transfert rerum dominium nedum in foro externo, sed etiam in foro conscientie.* — Quæritur IV. Utrum præscriptio procedat non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientie; et sub quibus conditionibus? Resp. I. Translatio domini facta auctoritate legis per præscriptionem, seu usucapionem, justa est; simulque per eam transfertur rerum dominium, nedum in foro externo, sed etiam in foro conscientie: adeo quidem, ut si præscriptio cujuscumque rei legitime fuerit completa, postmodum possessor ipsius eam amplius non teneatur restituere, etiamsi certo sciat, rem illam antea fuisse alienam. Ita Glossa c. *Vigilanti.* vers. *Noverit.*; et Abbas ibid. n. 6. h. t.; Scotus in 4. dist. 15. q. 2. § *De secundo*; Fagnanus c. *Si quis.* n. 50. de *Regularib.* et alii communiter. Ratio est, quia, ut argumentatur doctor Subtilis loc. cit. translatio domini, facta auctoritate legis publicæ justæ, justa est: atqui in præscriptione legitime completa intervenit talis translatio domini, per jura hactenus allegata, et imposterum alleganda; ergo. Major probatur: quia lex justa potuit a principio juste determinare prima rerum dominia; ergo etiam posterior lex justa pro temporum varietate, atque exigentia boni publici, juste de eisdem poterit disponere, arg. cau. 1. et seqq. dist. 29.

22. *Alia hujus ratio affertur.* — Confirmat hoc ipsum doctor Subtilis loc. cit. ex eo. Quia juste potest istud statui a legislatore, quod est necessarium ad pacificam conversationem subditorum; sed dominium rei neglectæ (prout negligitur in præscriptione) transferri in bona fide possidentem, est necessarium ad pacificam conversationem subditorum; ergo. Minor patet, quia, si non transferretur rerum

dominium in bona fide possidentem tempore longo, vel etiam longissimo, orirentur lites immortales: nam post quantumcumque tempus ille qui neglexit rem aliquam repetere, postmodum vel ipse, vel hæres ejus posset ipsam repetere; ex quo orirentur lites perpetuæ. Atque istud est, quod in l. I. ff. de *Usucapion.* habetur illis verbis. « Bono publico introducta est usucapio, ne scilicet quarundam rerum diu, et fere semper incerta dominia essent: cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. » Hæc ibi.

23. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura: quomodo intelligendum?* — Nec obstat regula 48. juris in 6. sic loquens: « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. » Resp. enim, regulam istam loqui de injusta locupletatione; non autem de justa, qualis est hæc, quæ fit auctoritate legis ex rationabili et publica causa, atque ob communem reipublicæ quietem, et pacem subditorum constitutæ. Simile quid accidit in bello justo, ubi multi locupletantur cum hostium jactura, etsi nequam injuste. Concordant ea quæ dixi in *Theologia morali*, tract. 7. distinct. 6. quæst. 1. n. 5. et seqq.

24. *Conditiones ad præscriptiones requisite, quæ?* — Resp. II. Nihilominus ut præscriptio, sive usucapio sit legitima, vimque transferendi rerum dominium habeat, plures requiruntur conditiones; videlicet sequentes. — I. Ut res sit apta præscribi. — II. Bona fides. — III. Justus. — IV. Possessio, et quidem legitimo tempore continuata: quæ omnes (ultima in duas divisa) sequentibus versiculis apte comprehenduntur.

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque.
Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus.
Possideas juste, completo tempore legis.

25. *Ad eam an etiam requiratur traditio rei?* — Addunt nonnulli cum Glossa causa 16. q. 3. in *Summa*, relatos versiculos non nihil immutatos referente traditionem rei. Verum recte notat Engel h. t. n. 5. eam non esse per se necessariam, sed solum ex consequentibus, quatenus vel justa possessio, aut bona fides, vel justus titulus sine ea deficit. Porro si enumeratæ conditiones rite intelligantur, ipsa natura præscriptionis exactius percipietur, hinc de eisdem singillatim restat dicendum in propriis paragraphis: proinde sit.

§ II.

DE REBUS, QUÆ PRÆSCRIBI POSSUNT, VEL NON POSSUNT.

26. *Omnes res possunt præscribi, nisi specialiter prohibeantur.* — Quæritur I. Quænam res generatim possint, vel non possint præscribi? Resp. I. Omnes res possunt præscribi, seu usucapi, nisi lege, vel speciali ratione præscribi prohibeantur. Ita communis; et patet ex § 1. et seqq. Instit. de *Usucapion.* et l. *Longi temporis.* c. de *Præscription. long. tempor.* cum similibus; ubi rerum usucapio, seu præscriptio indistincte conceditur, certis duntaxat rebus postmodum exceptis.

27. *In jure dicuntur quædam res præscribi non posse, dupliciter. Furtivæ res præscribi non possunt; et quomodo?* — Resp. II. In jure dicuntur quædam non posse præscribi, quia ordinario tempore non usucapiuntur: quædam vero, quia nullo modo præscribi possunt. Ita Lessius lib. II. de *Justit. et jur.* cap. vi. dubit. 15. n. 48. et alii; idque probatur inductione. Siquidem imprimis § *Furtivæ.* Instit. de *Usucap.* dicitur: Quod « furtivæ res, et quæ vi possessæ sunt, non possunt usucapi: » et tamen hæc tertio bonæ fidei possessore, puta, qui eas bona fide emit, præscribuntur annis tringinta, l. *Sicut in rem.* c. de *Præscription. tringinta vel quadringinta.* et l. I. § *Ad hæc.* c. de *Annal. except.* ac notat Glossa cit. § *Furtivæ.* §. *Prædicto longo tempore.* Instit. de *Usucap.*

28. *Fisci res usucapi non possunt: et quando secus?* — Similiter in § *Res fisci.* Instit. eod. ait imperator, quod « res fisci nostri usucapi non possit: » et tamen bona fisco jam incorporata, præscribuntur annis quadraginta, l. *Omnes.* c. de *Præscript. tringinta vel quadraginta annor.* Si vero necdum fuerunt fisco incorporata, ei tamen debita, partim præscribuntur quadriennio, quando videlicet non debentur ex delicto, sed ob mortem decedentis sine legitimo hærede, l. I. c. de *Quadrienni præscription.* Partim quinquinio, ut quando debentur ex delicto, v. g. ob vectigal non solutum, juxta textum in l. II. c. de *Vectigalib.* Ac per hæc patet ad priorem partem conclusionis: altera vero pars liquet eo, quia dantur nonnullæ res, quæ nullo modo præscribi possunt, prout illico dicitur. Unde

29. *Liber homo usucapi non potest.* — Quæritur II. Quæ res in specie præscribi nequeant? Resp. I. Liber homo nullo unquam tempore

usucapi, seu præscribi potest. Textus est in § *Sed aliquando.* Instit. de *Usucapion.* ibi: « Sed aliquando, etiamsi maxime quis bona fide possideat rem, non tamen illi ullo tempore usucapio procedit: veluti, si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam, vel servum fugitivum possideat. » Ita textus expressus § *Sed aliquando.* Instit. de *Usucapion.* Concordat textus in l. ult. c. de *Longi temp. præscriptione, quæ pro libertate, etc.*, ubi dicitur, contra libertatem hominis non præscribi etiam sexaginta annis.

30. *Potest tamen servus præscribere libertatem contra dominum.* — Nec obstat, quod servus præscribere possit libertatem suam contra dominum, si viginti annis, etiam sine titulo, bona fide sese gesserit pro libero, cit. l. I. c. de *Longi temporis præscriptione, quæ pro libertate, etc.*, juncta Glossa fin. ibid. Resp. enim, esse maximam disparitatem: nam libertas hominis connumeratur inter causas favorabiles, cap. ult. de *Sentent. et re judicat.* ac proinde favor libertati debitus, et salubris, merito induxit legislatores, ut admitterent longi temporis præscriptionem pro libertate, cit. l. II. c. de *Longi tempor. præscript.* Non vero adversus libertatem hominis, etiamsi præscriptio ista accessisset sexaginta annorum curriculum, l. III. c. eod.

31. *Res publicis usibus deputatæ, v. g. forum, platea, pons, etc., nec in totum, nec in partem præscribi possunt: et cur?* — Resp. II. Res publicis usibus deputatæ, ut forum, via publica, platea, pons, et hujusmodi, nec in totum, nec in partem præscribi possunt. Ita Lessius lib. II. de *Justit. et jur.* cap. vi. n. 48. Piching. h. t. n. 12. et alii. Idque patet ex l. *Usucapionem.* ff. de *Usucapionib.* ubi expresse dicitur, quod in rebus « publicis, populi Romani, et civitatum, » non procedat usucapio. Quamquam Glossa ibid. §. *Romani.* et §. *Civitatum,* istud intelligendum censeat de illis rebus, quæ sunt in usu ipsius populi Romani, aut totius universitatis, uti sunt res in conclusione enumeratæ: alias secus. Accedit ratio, quia ejusmodi res publicæ, utpote omnibus communes, a privatis non possidentur, sed promiscue usurpantur, l. I. § fin. ff. de *Acquirend. possession.* Atqui « sine possessione præscriptio non procedit, juxta reg. 3. juris in 6. cum similibus. Concordat textus in l. II. ff. de *Via publica.* ubi dicitur: « Viam publicam populus non utendo amittere non potest: » etiamsi centum annis non ivit; prout subjungit Glossa un. ibid. asserens,